

jici quidem posse videntur verba quæ Petrus 1. Ep. II. v. 9. addit: ὅπως ἴασι ἀρετὰς ἐξαγγελῆτε ἵνα ἐκ σκοτῆς ὑμᾶς κἀλευσάντο, ut *virtutes ejus annuncietis qui vocavit vos ex tenebris*. Sed respondeo, per virtutes Dei intelligi ejus sapientiam, bonitatem, & misericordiam, &c. quas omnes Christiani commemorare invicem & lingua & vita celebrare tenentur. Observat hoc Syrus quando vertit: ὁμοδοξία, ὡς ἡ δόξα, ut *annuncietis gloriam & laudes ejus*. Conf. Erasmi Schmidii ad hæc verba notas. In præsentem igitur textum Petrus plane non agit de publico verbi ministerio, & distinguendum erat inter vocationem *generalem*, qua omnes Christiani per regenerationem vocantur ad spirituales hostias & laudum præconia Deo offerenda, de qua agit Paulus Ephes. V, 19. & inter vocationem *specialem*, qua ministerium verbi, quoad prædicationem evangelii & dispensationem sacramentorum, personis ad hoc idoneis committitur, prout docet Paulus Ephes. IV, 11. 1. Cor. XII, 29. & Jacobus c. III, 1. *Discrimen* inter pastores & greges videre licet Joh. XXI, 16. 17. Act. XX, 28. 1. Pet. V, 1. seqq. 1. Tim. III, 1. seqq. Tit. III, 8. Apoc. II, 3. Ex his omnibus patet, esse sacerdotem spirituales, & esse ministrum verbi, hæc esse diversissima. Constat etiam ex his, quod, quæ sub initium hujus §. ex epistolis Theosophicis produxi, loquantur, licet minus accurate, de sacerdotio spirituali, non autem de ministerio verbi, de quo in præsentiarum agimus.

§. X. Proximum locum autor epistolarum Theosoph. tribuit argumento a *defectu sensus internæ motionis*, & Christi in corde loquentis. Hinc de mediate

Voca-